



**Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XXX. Sponsarium, de quorum obligatione diceptatur ob dubia  
contrahentium verba.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)

## CONSILIO XXIX. CHRISMATIS.

illorum, sicut tamen faciunt, quando loquuntur de Chrismate in ordine ad Sacramentum Confirmationis, & de oleo infirmorum in ordine ad Extremam Unctionem: qua diversitate loquendi sufficienter indicant, benedictionem Chrismatis, & olei infirmorum esse quidem de necessitate Sacramenti Confirmationis, & Extrema Unctionis, in Ordinatione sacerdotis autem consecrationem calicis solum requiri de necessitate pracepti: quo efficitur, peccaturum quidem graviter illum Episcopum, qui scienter in hujusmodi Ordinatione uteretur calice non consecrato, ipsam tamen Ordinationem fore validam.

**I2.** Confirmatur paritate cum consecratione Episcopi, ubi licet non minus requiratur Chrismatica unctionio, ac illa requiritur ad consecrationem calicis, tamen si unctionio illa facta sit Chrismate confecto ex balsamo artificiali, consecratio Episcopi valet, nec est repetenda, aut supplenda haec unctionio, quia unctionio ista tantum requiritur ex

præcepto Ecclesie, & ratio, quare Christi misericordia præcipiatur balsamum, nempe nitor conscientiae, & bona fama odor, sufficienter significantur per Chrisma confectum ex oleo, & balsamo. atqui, ut habetens dictum est, etiam in calice, licet delibuto solum per Chrisma, ex simili balsamo artificiali confectum, accendentibus præsertim ceteris ceremoniis, in consecratione calicis adhiberi solitis, si ille tradatur sacerdoti ordinando, jam obtinetur signum sensibile potestatis illi traditæ in ordine ad confiendum Corpus, & Sanguinem Christi. igitur etiam ipsa valebit, nec iterari, aut quidquam suppleri debet, sed hoc ipso, quod deficit, & ex præcepto solius Ecclesie adhiberi debuerit, illa supplebit. Taceo, quod balsamo artificiali semper sit mixtum balsamum naturale, ut adeo Chrisma ex illo confectum dici possit confectum ex oleo, & balsamo: consequenter habet, quod à jure ad verum Chrisma requiritur.

## CONSILIO XXX.

## In causa Sponsalium.

## SUMMARIUM.

1. *Facti species.*
2. *Ex traditione & acceptatione annuli non presumuntur sponsalia:*
3. *Nisi consuetudo loci aliter habeat, vel specia- lia signa consensus præcesserint.*
4. *Idem traditur de traditione aliorum mun- rum.*
5. *Si viro promittenti matrimonium famina re- quisita manum porrigat, censetur reprobri- tere.*
6. 7. *Littera amatoria, in quibus scribens puer- lam salutavit sponsam, non probant sponsalia, sed tamen præsumptionem dignunt.*
8. 9. *Copula carnalis per se non est signum spon- salium contractus: bene tamen ex circumstantiis.*
10. *Si verbæ sunt dubia, in foro conscientia- dum est intentioni contrahentium:*
11. *In foro externo standum est verborum sig- nificationi vulgari.*
12. *In dubio de contracto matrimonio, senten- tia fertur in favorem matrimonii.*
13. *In dubio de contractis sponsalibus, pronun- tiatur contra sponsalia.*
14. *Conditio de futuro contingente possibili & honesto, suspendit obligationem matrimonii & sponsalium.*
15. *Conditio potest adjici sponsalibus post con- tractum, non autem matrimonio.*
16. *seqq. Deciditur controversia ex pranota- ris.*

## FACTI SPECIES.

**I**tius, & Bertha à septem annis fa- miliaritatem inter se invicem habent cum non dubiis signis amoris re- ciproci; nam præter donationem joculum, & ap- positionem escu- lentorum repetitam, quoties convene- re (quod sapissimè per sex præcipue annos factum est) semper fere intervenierunt

blanditiæ, tactus etiam impudici, in copula, quamvis imperfecta. In uno horum conventuum, ubi etiam competatio in- stituta est, egressum conclavi Titius se- cuta est Bertha, & cum videret ista in digi- to istius annulum, eum detraxit: post quod Titius reposuit his formalibus: Wo mein Ringlein ist, muß ich auch seyn. also Diendl, du kehrst mein. Ad que verba illa quamvis subridendo respondit: Es ist schon recht: & annulum detractum retinuit, quem etiam in hunc diem habet. Alia vice, cum in certa domo convenienter simul, in- ter cetera Titius ad illam his verbis: Gelt, Weiber, wann ich einen Dienst bes-

Komme, so heyrathest du mich, und darf ich dich abholen? Ad quod illa respondit affirmando. Post haec acta Titius discessit alio, quo absentiæ tempore alternavere inter se litteras amoris indices: aliquando etiam inter hoc tempus in pago proximo convererunt, ubi appositis à Titio esculentis, & poculentis, cum Bertha in manu Titii videret annulū argenteum, eundem violenter, & maximo cum desiderio detraxit ejusdem digito, & retinuit illum, Titio nihil contradicente. Consanguinei Berthæ hanc ipsius cum Titio familiaritatem, & amicitiam semper aversati, eò rem deduxere, ut nunc Bertha cogitet de matrimonio cum alio ineundo.

## QUÆRITUR.

An hanc Berthæ intentionem turbare Titius possit, vel contraria debat iuris qualicunque sibi in ipsam quaestio edere?

2. PRÆMITTO aliqua, in quæ communiter DD. convenient. Convenient autem 1. acceptationem annuli, & immisionem illius in digitum ex se loquendo esse signum æquivocum, adeo, ut si tractatus de sponsalibus vel specialia signa consensus alia non præcesserint, aut consuetudo loci aliter habeat, ex ea Sponsalia in foro externo non præsumantur.

Ita Abb. in c. fin. de desp. impub. n. 7. Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. concl. 3. Barthol. de Ledesma de matrim. dub. 9. Menoch. l. 3. præsuppr. 2. n. 1. & seq. Mascard. de probat. concl. 1024. n. 2. & seq. Sanch. l. 1. de matrim. D. 22. n. 1. König ad libr. 4. Decret. tit. 1. n. 40. q. quod attinet. Reiffenstuel ibid. n. 56.

Ratio est, quia talis donatio annuli etiam ob alias causas fieri potest, & solet v. g. ob turpem, vel etiam castum amorem, aut in signum memorie, affectus mutui, aut sub spes futuri matrimonii &c.

3. Dixi autem, nisi tractatus de sponsalibus, vel specialia signa consensus alia præcesserint, aut consuetudo loci aliter habeat. Et hinc 1. si consuetudo loci sit, ut annuli traditio sola, & sine aliis indicis de voluntate Sponsalia contrahendi, horum contractum significet, ita præsumuntur contracta per solam traditionem, & acceptationem annuli; quia talis traditio, & acceptatio præsumuntur facta secundum consuetudinem loci.

Ita Angel. V. Sponsalia n. 7. Sylv. V. eod. q. 5. Armill. ibid. n. 3. Covar. 4. Decret. p. 2. c. 4. princ. n. 2. & loc. citt. advertunt Abb. n. 7. Menoch. n. 6. Barth. de Ledesma dub. 9. Sanch. n. 2.

R. P. Schmalegrueber Consilia.

2. Si verba unius, quibus animum Sponsalia contrahendi expressit, præcesserint, & post haec sequatur traditio, & immissione annuli; tunc enim operatur ista consensum expressum alterius, ex ratione, quod sic acceptans, & recipiens annulum licet taceat, & nihil dicat, tamen ipso facto consentire censeatur, dum annulum recipit

arg. l. Paulus. ff. rem natam haberi. Gloss. in c. tua. V. verba. de Sponsal. & inc. penult. V. dicente. tit. eod. Ant. de Butrio ibid. n. 9. Menoch. l. cit. n. 4. Mascard. conclus. 1024. cit. n. 2. & 3. Sanch. D. 22. cit. n. 3. cum aliis supra allegatis.

3. Similiter præsumuntur Sponsalia contracta, quando traditio, & receptio annuli facta est in ipso tractatu inter Sponsos, eorumque parentes, & amicos instituto de ineundo matrimonio. Quare hac in re circumstantia ejusmodi attendi debent

Conveniunt 2. cædem ex ratione ex sola traditione, & acceptatione munierum, fasciarum, & jocalium non probari sponsalia, nisi similiter alia signa consensus sponsalium comitentur, vel præcedant, aut subsequantur; nam

ut P. Reiffenstuel l. cit. n. 59. notat, annuli receptio manifestius censetur esse signum, quam aliorum munerum. Hinc eadem signa, vel similia præcedere, vel comitari debent. Tale est, si habitu tractatu inter amicos de matrimonio contrahendo, sponsus sponsæ arrhas, vel jocalia mittat, & hæc acceptet sponsa; nam licet ista nihil aliud expresserit, sponsalia contracta præsumuntur, & habebitur talis missio, & acceptatio pro sufficienti signo promissionis mutuæ, si tamen sponsa de hujusmodi tractatu constitit.

Gloss. inc. tua. V. verba. de Sponsal. Palud. in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. n. 10. Rosella V. matrimonium 2. n. 17. Corduba summ. q. 143. Henrig. l. 11. de matrim. c. 13. n. 6. Sanch. D. 22. cit. n. 5.

ratio est, quia talia signa præsumuntur exhiberi, & acceptari ea intentione, quæ proficeruntur, & acceptantur verba in tali tractatu

arg. l. semper 33. ff. de R. J. Palao tract. 28. D. 1. p. 4. n. 10. Dicastill. D. 1. de matrim. dub. 8. n. 147. Pirhing. ad libr. 4. decret. tit. 1. n. 8. Clariss. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 84. & alii apud illos.

Idem est, si cum tractaretur de matrimonio contrahendo, viro promittenti matrimonium famina requisita manum dedit ad fidem recipiendam; nam tunc ipsa manus porrectio habebitur pro sufficienti signo re-promissionis: tacens enim consentire videtur

juxta reg. qui facit 43. in 6.  
etiam ubi agitur de obligatione personæ  
(Tt 2) con-

4.

5.

## C O N S I L I U M XXX. S P O N S A L I U M.

contrahenda, si aliquis actus positivus concurrat, ut bene tradunt

Abb. in c. cum virum. n. 3. de regular.

Ant. Gomez. in l. 52. Tauri n. 24. Paulud. art. 1. cit. n. 4. S. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 18. princ. Rosell. V. Sponsalia n. 1. Sylv. ibid. princ. Sangh. D. 22. cit. n. 6.

**ex quo infertur intellectus**

Gloss. in c. fin. V. subarravit. de despōns. impub. & inc. tenor. V. subarrasset. de sent.

& rejudic.

ubi ait, ex subarrhatione pr̄sumi matrimonium; intelligitur enim, quando alterius verba pr̄cesserunt, ut ipsamet se explicat

in c. penult. V. dicente despōnsal.

vel quando sic haberet consuetudo, ut bene

Covar. in 4. decret. p. 2. c. 4. princ. n. 3.

Sanch. n. 6. cit.

Dixi, si viro promitteri matrimonium famina requisita manum dedit. Aliud est, si quis feminae manum capiat, dicens, do tibi fidem de matrimonio contrahendo; nam si ipsa tali casu nihil respondeat, talis arreptio manus etiam post fidem datam non est sufficiens signum, & ita non erunt Sponsalia.

Tabiena V. sponsalia. q. 3. n. 4. Armilla V. eod. n. 3. Barthol. de Ledesma de matrim. dub. 9. Sanch. l. cit.

**6.** Conveniunt 3. litteras amatorias, etiam illas, in quibus scribens puellam blanda oratione sponsam salutavit, licet pr̄sumptionem aliquam gignant, si personæ fuerint æqualis conditionis

can. dicat 9. caus. 32. q. 4.

& coadjuvent probationem sponsalium, ac matrimonii.

Rota decis. 772. n. 8. p. 2. recent.

solas tamen leviores esse, quam ut in rem gravi plenam probationem inducant; quia s̄pē hujusmodi litteræ, etiam cum tali compellatione, scribuntur inter eos, inter quos nullus unquam sponsalium contrahens intercessit; & sicut, si quis in litteris ad ancillam datis eam sororem compellaverit, per hoc non efficitur eam veram sororem ipsius esse

t. non Epistolis 13. C. de probat.

ita nec sit sponsa illa, quam procul sponsam in Epistola sua salutavit.

**7.** Neque aliud probatur argumento dueto

ex l. un. §. similique C. de latin. libert. toll.

ubi dicitur, quod dominus, si apud acta servum filium nominaverit, eum liberum faciat. Nam bene distinguendum est inter adoptionem juris filialis, & consecutionem libertatis. Lex allegata solū dicit, quod qui filius nuncupatur apud acta à domino suo, consequatur libertatem ob singularem libertatis favorem; non verò dicit, quod per hoc consequatur jus filii, quippe

quod §. fin. Inf. de Adopt. exp̄sē negatur. Sic pariter, si quis in litteris suis puellam aliquam appellat sponsam suam, per hoc quidem sp̄cialē affectum erga ejusmodi puellam indicat, non tamen hoc ipso sponsam efficit, utpote quā sine promissione reciproca matrimonii contrahendi non efficitur, quā tamen promissio s̄pē non intervenit inter eos, qui sponsi, vel sponsi nomine se invicem in litteris hujusmodi amato riis compellant.

Conveniunt 4. Blanditias, tactus impudicos, ipsāmque copulam utrinque admisim per se non probare sufficiens signum sponsalitii consensū. Ita

teste P. Reiffenstuel ad libr. 4. decret.

tit. 1. n. 67.

comunis, & certa sententia. Ratio patet, quia hujusmodi actus, & copula fieri possunt, & s̄pissime, imo à potiori fisi solent ex sola libidine, absque ullo animo matrimonii ineundi. Aliud foret, si quis puella matrimonium promitteret sub conditione, si ista ipsi traderet corpus suum; nam si statim hēc illi se tradat, traditio illa sufficientissimum erit reprobationis indicium. Sanchez D. 22. cit. n. 6.

Idem dicendum, si puella sit alia honesta, & pr̄ter signa sponsalium dubia concurrat copula; nam cum ceteris signis dubiis in foro externo probabit sufficiens signum pr̄sumendi sponsalia: consequenter pars, quā alio amores suos intendit convertere, absolute condemnari poterit ad rubendum.

Menoch. de pr̄sumpt. libr. 1. pr̄sumpt.

1. Perez de matrim. D. 12. sett. 4.

Gobat. Theolog. Experim. tract. 10. cas.

2. n. 276. Sporer p. 4. c. 1. sett. 2. n.

186. Reiffenstuel ad tit. de sponsal. &

matrim. n. 68.

Ratio est, quia honesta puella non censetur pr̄bere ulum corporis sui, nisi sua sponte, ac sub spe futuri matrimonii, sub quā facile puella, etiam ceteroquin honesta, persuadentur.

Conveniunt 5. quando verba sunt dubia in foro conscientiæ standum esse intentioni contrahentium, si de illa constet; nam verba vim obligandi habent, quatenus explicant consensum internum, & contractus ex intentione legem accipiunt juxta Reg. 85. in 6. Item obligatio sponsalium est quādam lex particularis, quam homo suā sponte sibi imponit. Obligatio autem legis à legislatoris mente dependet: nec in hoc fundamento aliquis discrepat,

ut notat Sanch. l. 1. de matrim. D. 18.

n. 1.

Hinc idem Sanchez ibid. n. 6. cum aliis interfert, si desit intentio, & consensus internus in sponsalia, vel matrimonium, quāliacunque sint verba nullam ex illis sponsalium, aut matrimonii obligationem ostendit;

& è contrario si ad sit intentio se obligandi vinculo matrimonii, aut sponsalium, & ea manifestetur signo aliquo externo alteri, ita, ut ambo contrahentes intelligent, se mutuo per illa verba contrahere matrimonium, aut sponsalia, sat erunt qualiacunque verba. Et ratio est aperta; quia cùm de ratione sponsalium, vel matrimonii non sint verba, ut signa certa, satis erit, si quocunque signo externo animum suum sibi mutuo indicent.

Dixi, in foro conscientia; nam in foro externo non statur intentioni contrahentium, eo quod intentio ista, nisi per verba, vel signa externa sufficienter prodatur, Ecclesiam lateat: cogetur proin in foro isto uterque in eo sensu verba retinere, quem communiter recte intelligentibus ingenerare solent, & sic stabitur corum significacioni vulgari.

Ita expresse deciditur c. ex litteris 7. de sponsal. & matrim. & teste Sanch. D. 18. cit. n. 4. fatentur omnes.

sunt ergo in hoc casu, in quo de intentione contrahentium non satis constat, attendenda aliae conjecturæ, puta, loquentium qualitas, & conditio

c. solita 7. de major. & obed. & cum aliis docent Covar. in 4. Decret. p. 2. c. 4. §. 1. n. 2. Ant. Cucus l. 5. instit. major. tr. 11. n. 38. Sanch. n. 4. cit.

Item attendendum id, de quo tunc temporis tractabatur; si enim de matrimonio, verba dubia censenda sunt constituere matrimonium; si verò de sponsalibus, sponsalia,

ut colligitur ex c. intelligentia 6. de V. S. Palud. in 4. dist. 27. q. 2. art. 4. concl. 5. n. 17. Veracruz. p. 1. spec. art. 47. dub. 2. Sanch. l. cit.

Similiter considerandum, an verba illius, qui primò ea protulit, sint certa, & clare significativa sponsalium, vel matrimonii; nam tunc secundum illa intelligi debent verba sequentis; quia videtur ad interrogata respondere.

Palud. l. cit. Petr. de Ledesm. de matrim. q. 45. art. 3. dub. 1. concl. 4. Sanchez. l. cit.

quod intellige, si verba sequentis sint æquivoca, & dubia; secus, si essent determinata, & clara.

Veracruz. Sanch. l. cit.

Et tandem in dubio favendum est foemini; quia simplicius res tractare solent, facilius quæ viris decipiuntur.

Henriq. l. 11. de matrimon. c. 11. n. 6. Barth. de Ledesm. de matrim. dub. 9. fol. 1234. Petr. de Ledesm. dub. 1. cit. Sanch. l. cit.

Quando omnibus consideratis, remanet dubium, distinguendum est, an dubitetur, utrum contractum sit matrimonium, an verò sponsalia de futuro tantum. Si dubitatur, an contractum sit matrimonium,

sententia ferenda est in favorem matrimonii; quia matrimonii causa est favorabilis, & qui causam favorablem fovet, pro eo pronuntiandum est.

Ita Joān. Andr. in c. ex parte de sponsal. n. 3. Anchar. ibid. n. 7. Angel. V. Sponsalia n. 7. Menoch. l. 3. præsumpt. 3. n. 9. Carrer. l. 1. de Sponsal. c. 22. Malcard. de probat. concl. 1027. n. 1. Sanch. D. 18. cit. n. 5.

Proceditur hoc etiam in foro interno; nam inter hoc, & forum externum non est discriminem quoad matrimonii vinculum: id enim, quod in foro conscientia non est matrimonium, non est etiam in foro externo, & econtra; Ecclesia enim non potest facere, ut sit matrimonium, quod tale non est; sed tantum in cognoscendi modo est differentia; nam in foro interno statur Confessioni propriæ, in externo autem allegatis, & probatis,

ut bene notat Covar. in 4. decret. p. 2. c. 2. n. 2.

Cum ergo in casu ubi constat dubium esse valorem matrimonii, Judex in foro externo judicare debeat pro valore illius, idem sentiendum erit in foro interno: consequenter, quando intentio contrahentium constare nequit, & verba dubia sunt, sicut in foro externo, ita in foro conscientia: judicandum erit juxta communem verborum intelligentiam, & ubi haec istud patitur, potius standum pro valore matrimonii, quam contra illud, Sanch. D. 18. cit. n. 8.

Contrà quando dubitatur, an sponsalia de futuro contracta sint, vel non, eo quod verba, quæ adhibita sunt, sint ambiguæ, & æquivoca, standum est pro libertate, & pronuntiandum non esse contractam obligationem sponsalium

arg. l. Arrianus 47. ff. de O. & A.

Ratio disparitatis inter matrimonium, & Sponsalia de futuro est; quia Sponsalia de futuro inducunt vinculum tantummodo ex natura sua solubile, quorum proinde obligatio hoc ipso solvit, quando Judex, ritè perpensis allegatis, & probatis, pronuntiat, non esse contracta Sponsalia, & partes huic sententia acquiescent. Contrà matrimonium inducit vinculum ex natura sua indissolubile neque Judex, dum secundum allegata & probata pronuntiat, non esse contractum matrimonium, per sententiam suam facit, ut tale non sit, si revera tale contractum est: ex quo sequitur, si in dubio pronuntiaretur contra matrimonium, quod revera, & in se tale est, & partibus, quæ ita contraxerunt, daretur licentia transiungi ad alia vota, tale adum matrimonium non valit, sed illud contrahentes viituros in perpetua fornicatione materiali: quod periculum caveatur, si in dubio semper pronuntietur pro matrimonio.

(T 13)

Con-

14.

Conveniunt denique DD. 6. si sponsalibus, vel matrimonio apponatur conditio de futuro contingente possibili, & honesto, nisi illa conditio substantia matrimonii contraria sit, per ejus appositionem suspendi obligationem sponsalium, & matrimonii sub tali conditione contracti, ita ut ante ejus eventum non valeant, neque obligent. Ita Sanchez

*l. 5. de matrim. D. 6. n. 2. Conink D.  
29. de Sacram. n. 9. Layman. l. 5. tract.  
10. p. 2. c. 7. n. 2. Palao tract. 28. D. 2. p.  
11. §. 2. n. 2. Vivian. in c. de illis 3. de  
condit. apposit. princ. Barbos. in c. qui-  
cunque 1. eod. n. 2. Gonzal. ibid. n. 8. &  
in c. pertuas 6. n. 2. Wex Ariadn. p. 5.  
tract. 2. §. 6. n. 12. & 14. sumitur ex c.  
de illis cit. & c. super eo 5. eod. tit.*

Ratio est, quia generatim loquendo conditio propriè dicta, & de futuro contingente suapte naturâ suspendit contractum, cui adjicitur

*l. si ita stipulatus 97. §. si tibi 2. ff. de  
V. O.*

Unde cum nullo jure à matrimonio rejiciantur conditiones honestæ, & possibles, sed tantum turpes, & impossibles, ut constat ex c. fin. de condit. appos. fit.

etiam matrimonio additæ suspendent matrimonium, & efficient, ut non valeat, donec impleatur conditio: à qua regula solum excipitur casus extraordinarius, quo quis impediret culpabiliter, ne conditio impleretur.

Tanner D. 8. q. 1. n. 66. Sporer de ma-  
trim. n. 181. Wexl. cit. n. 12.

conformiter l. in jure 161. ff. de R. J. ubi Ul-  
pianus, in jure, inquit, civili receptum est,  
quotiens per eum, cuius interest conditionem  
non implevi, stat, quò minus impleatur, perin-  
de haberi, acsi impleta conditio fuisset.

15. Ut autem obligationem, & valorem Sponsalium, vel matrimonii suspendat conditio de futuro contingente possibili, & honesto, necesse est, ut apponatur in ipso contractu sponsalium, & matrimonii; nam si ex intervallo primum apponatur post contracta sponsalia, vel matrimonium, suspendere obligationem illorum non potest, cum ea jam sit ante contracta. Disparitas tamen est in sponsalibus, & matrimonio; nam in sponsalibus, parte utraque consentiente, etiam ex intervallo addi potest; non verò in matrimonio, licet pars utraque consentiret.

Alex. de Nevo in c. de illis cit. n. 17. Prä-  
pos. ibid. n. 4. Sanch. D. 6. cit. n. 3. & 4.  
Laym. n. 2. cit.

Ratio disparitatis est, quia cum Sponsalia mutuo consensu tolli possint, etiam poterit mutuo consensu obligatio illorum absolute mutari in conditionata. Contrarium est in matrimonio; cum enim istud semel legitimè contractum mutuo consensu am-

plius dissolvi nequeat, hinc sit, ut postquam semel effectum fortitum est, ne qui-  
dem communi partis utriusque consentiu-  
nova conditio illi apponi possit.

Ex his præmissis sepe prodit resolutio 16.  
casus propositi. Nam 1. dicendum, in <sup>Decidit  
casu isto non probari Sponsalia inter Ti-  
tium, & Bertham inita per hoc, quòd ista  
binis vicibus ex Titii dígito detraxerit an-</sup>  
nulum, & hic istum illi permiserit cum di-  
cto, Wo mein Ringlein ist, muß ich auch  
seyn: alio Diendl, du fehst mein; quia,  
ut dictum est num. 2. acceptatio annulli, & im-  
missio in digitum est signum tantum æqui-  
vocum, & ob alias causas, quam ad signi-  
ficanda Sponsalia adhiberi potest. Ne-  
que vim æquivocationem istam tollendi,  
eaque determinandi ad significanda Spon-  
salia habent verba allegata Titii, etiam  
cum responsione Bertha subjecta, quan-  
do subdidit: Es ist schon recht: quia ver-  
ba ista majorem vim habere non possunt,  
achi alicui dicenti: Tu es mea charifima, the-  
saurus meus, cor meum, vel tu es, vel eris mea,  
accipio te in meam &c. feminæ responderet,  
placet, consentio &c. quæ tamen verba in  
nostra Germania promissionem sponsali-  
tiam per se non consentur significare, cum  
in multis ejusdem Germaniae locis eò de-  
mentia deuentum sit, ut plurimi, præser-  
tim plebeii, sine amasia, vel amasio, ohne  
Wuhlschafft, esse nolint.

2. Non probantur sufficienter Spon-  
salia inter eundem Titium, & Bertham per  
donationem jocalium, & appositionem  
esculentorum repetitam, etiam jun-  
cta familiaritate per septem annos con-  
tinuata; quia hoc proci, etiam qui  
animum matrimonium contrahendi non  
habent, erga amasias suas sœpe faciunt,  
ut proinde secundum dicta num. 4. talis do-  
natio, missio, & acceptatio probationem  
Sponsaliū contractorū sola non compleat.  
Quam probationē etiam non perficiunt lit-  
teræ amatoria ulro, citrōque datæ, blandi-  
tia, tactus etiam impudici, & ipsa copula im-  
perfecta, quam Bertha sœpius admisit à  
Titio, prout patet ex num. 6. & 8. & ma-  
nifestat ipsa facti species, ubi, antequam  
ulla mentio fieret de matrimonio inter ip-  
sos contrahendo, talia jam intervenierunt,  
ut adeò censeantur admissa non animo ob-  
ligandis ad matrimonium contrahendum,  
sed præcisè voluptatis venereæ gratiæ. Hinc  
3tiō. Si in casu præsenti alia circumstan-  
tia, contractum Sponsalium melius de-  
monstrantes, non intervenissent, dicen-  
dum fuisset, contractum istum esse dubi-  
um: & idcirco pro foro conscientiæ  
standum esset assertioni contrahentium, &  
si utraque pars affirmet, se per hujusmo-  
di verba, vel signa voluisse contrahere  
obligationem Sponsalitiam, illis creden-  
dum adesse Sponsalia; si verò neger utra-  
que, vel una duntaxat pars, negans ab  
ob.

obligatione ista absolvendus; quia, ut dictum est num. 10. in hoc conscientia foro standum est intentioni contrahentium, si de illa constet: in foro externo autem, si omnibus consideratis, quæ allegata, & probata sunt, remaneat dubium, sententia ferenda pro libertate juxta num. 13. Videntur autem

19. 410. Contractum Sponsalium de futuro saltem conditionatum satis clare indicare verba illa in specie facti proposita, dum Titius ad Bertham dixit: Gelt, Weis berl, wann ich einen Dienst bekomme, so heyrathest du mich, und darf ich dich abschollen, ad quæ verba affirmando respondebit, consequenter sub conditione, si Titius ad officium aliquid promoveatur, illa se obligavit ad contraendum cum ipso matrimonium. Neque exfolvere ab obligatione ista se poterit Bertha in foro externo, eti dicat, verba assertoria ad interrogacionem sic propositam se subjunxit non serio, sed joco; cum enim verba concordare cum mente presumantur, docere idoneis argumentis ipsa debebit, se jocum fecisse: consequenter in defectu sufficientis probationis, Judex in eodem foro externo presumere debet esse serio verba ista ab utraque parte prolatæ; & sic censetur Bertha contraxisse obligationem expectandi eventum conditionis appositæ, scilicet adoptionem officii, sub qua Titius a Bertha petit consensum ad futurum matrimonium, atque adeo

20. 510. Ad dubium num. 2. prolatum, & questionem, ibi propositam, his omnibus consideratis, dicendum, Titio jus compe-

tere, ut turbare Bertha intentionem cum alio matrimonium contrahendi possit; imo, si Titius allegatas in specie facti circumstantias, maxime ultimam num. præcedenti propositam sufficienter probet (quod tamen difficulter faciet, si Bertha hoc neget) eadem Bertha, etiam in foro externo, condemnari poterit, ut congruo tempore exspectet, donec Titius officium idoneum consequatur, & si istud adepitus fuerit, eidem nubat; quia verba, & actus, in specie facti propositi, si conjugantur omnes, sunt saltem signa sponsalium dubia, igitur, si tractatus de matrimonio inter Titium & Bertham incundo accelerit, juxta num. 3. & duos sequentes, fient signa certa contractus sponsalitii. Talem autem tractatum saltem conditionatum probant verba num. 19. indicata. Ergo &c.

Dixi autem, difficulter probationem asserendam, quæ sufficiat pro foro externo; cum enim solas literas Titii Bertha in manu habeat, & ex de Sponsalibus contratis nullam mentionem faciant, aliter probari res ista non poterit, nisi per juramentum. Deferti ergo in casu isto à judice poterit juramentum, non quidem suppletorium, cum etiam semiplena, quæ in foro externo pro tali habeatur, probatio non adsit, sed purgatorium, & quidem non Titio affirmanti, sed Bertha neganti, idque juxta dicta num. 11. in fine, ubi dixi, in dubio savendum esse foeminis, quod istæ simplicius rem tractare soleant, facilissime à viris decipientur. Ita salvo meliore &c.

21.

## CONSILIO XXXI.

### In causa petitæ dispensationis in impedimento Matrimonii.

#### SUMMARIUM.

1. Fatti species.
2. seqq. Rationes, ob quas neganda videtur dispensatio ad matrimonium Catholici cum Acatolica contrahendum.
3. Matrimonium Catholici cum Acatolica est validum.
4. Regulariter tamen graviter peccaminatum.
5. Nonnunquam potest esse licitum.
6. Summi Pontifices sape dispensarunt ad tale matrimonium contrahendum, quando spes fuit convertendi alterum conjugem.
7. Aut quando alia gravis causa suberat.
8. Praesertim quando agitur de matrimonio jam contracto.
9. seqq. In causa praesenti concede nda videtur dispensatio.
10. Metus & ignorantia excusat ab excommunicatione.
11. Dispensatio potest dari uni conjugi, licet conservative cedat in favorem alterius indigni.
12. Potest contrahi matrimonium cum peccatore, aut excommunicato.
13. In matrimonio Catholici cum Acatolica nonnunquam cessant damna & pericula, ac sperant possunt multa bona;

FACTI